

Q. K.
4174

X 187 633 A

II i
2618

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA,
DE
CAPITE JEJUNII,

vulgo,

Die Aschermittwoch /

quam

Inclytæ Facultatis Philosophicæ Indultu
placido eruditorum exanimi

submitunt,

In alma Lipsiensi

P R Æ S E S

M. JOH. GAB. Mittwoch /

Bons. Franc. Alumnus Elector.

ET

TOBIAS Führer /

Posonio Panno.

RESPONDENS

Ad diem Mercurii XII. Aprilis M. DC. XCIII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Typis Joh. Christoph. Brandenburgeri.



UNIVERSITÄT
MAGDEBURG





Prooemium.

EXhibitum vides B.L. quod debeo, non quidem qua volui, volui enim perfectissima, sed qua potui diligentia. Materia si videatur levis, non diffiteor, non tamen plane inepta, ut pote quæ ineptias Rom. Ecclesie & detectas ex historia describit. Historia enim res adeoque & ritus introductos depingit. Considero *Caput Jejunii*, ejusque *originem, ritus, abrogationem*, quæ ut æqui consulantur, humanissime rogo.

§. I.

Magna circa Quadragesimæ observationem diversitas dubium ejus initium facit. Nam licet quadragesimæ vox tempus quadraginta dierum significet; uti Carolus *du Fresne in Gloss. Latinit. verbo Quadragesima* annotavit; multi tamen in hoc tempore dies excipiebantur, qui uti loquitur *Dalleus in Tract. de Jejun. & Quadrag. p. 554.* omnes quidem 40. dies numerabantur, non tamen omnes jejunabantur. Et quanquam alias hæc vox Quadragesima multis, imo ferme omnibus jejniis, a Patribus applicetur; nos tamen hac vice de illa tantum sumus occupati, de solenni scil. illo tempore proxime ante Pascha anniversario, quo memoria Passionis Dominicæ in Ecclesia Christiana recolitur & jejunium secundum veteris Ecclesie instituta indicitur publice, a quo jejunandi ritu Germanica appellatio invaluit *die Fasten/oder Fasten, Zeit/* etiam illis in locis ubi juxta Reformatæ Religionis Disciplinam jejunium non servatur, annotante *Wildvogelio in Diss. de eo quod justum est circa tempus Quadragesimale p. 5.* Latinos enim tres Quadragesimas

simas habuisse observat *Guilielmus Durandus Rat. Div. Offic. Lib. 1. C. 9. n. 8 & Lib. VII. Cap. 14. n. 9.* Græcos quatuor, ex *Scaliger. de Emendat. Tempor. Lib. VII.* exponit *Carol. du Fresne l. c.*: quas hodiernos Russos & Moschos pariter observare testatur *Adam Olearius in Itinera. Moscov. Lib. 2. C. 29. nempe Quadragesimam Ninives; Maronitas sex, Armenios longè plures, indicat Wildvogel. l. c.*

§. II. Jam illud potius nostræ considerationis erit, nempe solenne illud nostri temporis jejunium quadragesimale, quod ante Pascha in Ecclesiâ Rom. servari solet. Quod omnino antiquæ consuetudinis, non tamen Apostolicæ institutionis esse testatur *Augustin. Epist. 119. ad Januar. C. 17.* quâ ratione & latis firmiter colligit, *Joachim. Hildebrandus de Primit. Eccles. Sacris publ. Cap. III. §. Quadragesima. Hieronymus de Diversitate Jejunii: Epist. 28. ad Lucinum.* Greci die Lunæ post Dominicam *τρεοφωγλας* quæ Quinguagesimam antecedit ipsam Quadragesimam auspicantur. Russi & Moscovitæ, qui Græcorum ritus plerumque sectantur, feria secunda Quinquagesimæ auspicantur, referente *Antonio Possevinò qui ita in Moscovia sua.* Mosci, inquit, suam auspicantur Quadragesimam à feria secunda Quadragesimæ. Abyssini feriâ prima post Dominicam Sexagesimæ Quadragesimam magnam incipiunt, citante ex *Alvarezio Job. Joach. Homborgio de Quadragesima §. XXI.* Ecclesia Ambrosiana jejunium incipit post primam Quadragesimæ Dominicam: quod posterius miram circa ipsum initium diversitatem probat. Inceptum autem est regulariter jejunium sex hebdomadas ante Pascha uti *Ambrosius Can. V. Dist. 4. dicit.* Telesphorus autem Papa septimam circa annum Ch. 130. adjunxisse testatur *Epistola ejus ad Episcopos in Can. IV. Dist. V. Statuimus ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici &c.* Inde constabit, quam multum varient Scriptores circa Quadragesimæ caput: quod ponendum non in Dominica Invocavit, sed juxta Canones & praxin ipsorum Pontificiorum in septimanæ antecedentis feria quarta, quæ dicitur *Dies Cinerum, Die Aschermittwoch*, à titu nimirum primariò incinerationis, *Nic. Hunn. Apost. Rom. Eccles. p. 626. §. 609.* In Concilio Agathensi *Can. IX.* dicitur Caput Quadragesimæ. Dicitur & Carementanus barbaro vocabulo,

cabulo, quod Gallis ortum debet, dicitur enim illis Careme en-
trant vel Careme premanr, ex quò natum vocabulum, quod in
libris reſtutioribus reperitur & à Carol. du Fresne in Glossar, La-
tinitat. voc. Caremannranus explicatur.

§. III. Dies vero hæc Cinerum originem suam traxit ex Judaif-
mò & quidem ex ritu illò Ninivitarum cum in cilicio & cinere
pœnitentiam egisse ex Jon. Cap. III. 7. seqq. constat: testatur id
quoq; B. Nic. Hunnius l. c. cui adjungimus B. D. Martin. Geierum
in Tract. de Luctu Ebraorum Cap. IX. §. 6. p. 152. Quando insti-
tutus fuerit cinerum dies difficillimum est determinare. Non
adeo antiquum, uti plerumque falsò putatur illum esse ipsi Ponti-
ficii Scriptores asserunt, quorum tamen maximi interesset anti-
quitatem ejusque demonstrare. Nec desunt qui viros se præstare
fatagunt, Bellarminus & Alardus Gazæus & alii quatuor illos dies
feriam quartam Cinerum cum reliquis antiquissimos esse volunt,
eosque jam inde a quinto sextoque Christianismi seculo repetunt;
sed vanum id esse neque alio niti, quam quo illi flagrant, pessimæ
causæ studio, id luculentissime demonstrat Job. Dallæus de Jejun.
& Quadrages. Lib. III. Cap. XII. p. 550. seqq.

§. IV. Delibamus potiora pro instituti nostri ratione,
Vix opus est, ut attingamus illam circa hujus diei antiquitatem
qua statuunt; tempore Concilii Agathensis (Seculo IV. exeunte)
jam dum receptum fuisse Caput Quadragesimæ, uti Burchardus
Wormatiensis, Jvo Carnotensis narrant. Quam sententiam
ipsi Tomi hujus Concilii per altum silentium veram esse negant.
Ipsè Gratianus, loquor cum Dallæo, certe verecundior fuit qui
primam dierum istorum institutionem (tametsi & ipse falso)
tantum Gregorio tribuit, quem deinde plurimi Pontificiorum
Durandus Minatensis Episcopus de Consecrat. L. V. Cap. Qua-
drages. Autor Micrologi Cap. 49. secuti sunt. Fatetur cœterum,
jam tum fuisse, qui id negarent, putarentque modernos tantum
id usurpasse. Sed probatione dubia, S. Gregorius inquit ibi (i. e.
in Capite Jejunii) quadragesimalia officia NB. videtur, insti-
tuisse. Tota vero argumentorum oppositorum vis, si attendatur
in eo consistit, quod loquantur Patres in genere vel de Die

Cinerum vel de Capite Quadragesimæ indeterminate, non vero præcise de quarta feria cinerum. Insuper loca illa a *Job. Dalleo* p. 550. usque 556. seqq. citata falsa nituntur hypothese quod, optime l. c. observatum vide. Et mira inter ipsos Causæ suæ Patronos disceptatio refutandi nobis fecit otia.

§. V. Ad Ecclesiam Græcam provocaturus Bellarminus citat ex Dorotheo Abbate hæc verba: *Quadragesimam* constare 36. diebus Jejuniorum sed additam esse unam hebdomadam a Majoribus, ut numerus *Quadragesimarius* compleretur. At hanc sententiam nodum Gordium habere, quis est, qui putet? Hujus Scriptoris ætas, si non falsa, maxime tamen dubia demonstratur a *Job. Dalleo* l. c. p. 556. nec falsis verbis optimus Scriptor nobis vera persvadebit, quam falsitatem deprehensam reprehensamque videl. c. ubi tum ex ipsius orationis visceribus, tum conjectura vix improbanda, quod aliquis postremorum seculorum Græculus auctarium *Quadragesimæ* post Dorothei tempora, annotaturus in marginem orationis, quod incuria Librariorum, ipsi textui insertum fuisse, putaverit. Eundemque Græculum fuisse eum, cujus in Dorothei opus præfatio extat, quo se exeunte Seculo VIII. vixisse ut forex proditor ipse sui est. Tandem Patrum antiquorum IV. V. Ultique Seculi silentium feriam IV. inauditam ac incognitam fuisse, aperte loquitur. Denique ipsa dierum computatio, quæ 36. dies numerat, satis ostendit additionem quatuor dierum, adeoque caput Jejunii feria IV. Cinerum vix in usu fuisse: alias enim frustra apud Cassianum Theonias philosopharetur, quod iterum demonstrat *Job. Dalles* l. c. p. 560.

§. VI. Crucem nobis figere videntur Centuriatores Magdeburgenses *Centur. VI. Cap. XI. §. 50. Polyd. Vergilius de Rerum Invent. Lib. VI. Cap. III. p. 484. seqq. Gratianus de Consecr. d. 5. Cap. Quadrage. Durandus Rat. l. c. Hospin. de fest. Christianos. l. c. p. 60. Macri in Hierolexico sub voce Cineres, Wildvogel. Dissert. c. l. Itatuentes Diem Cinerum tanquam Caput Jejunii a S. Gregorio institutum fuisse, cui sententiæ plerique scriptorum adstipulantur. At pace ipsorum dixerim, ipsum Gregorium nobis patrocinari, verba ipsius testantur Hom. XVI. *A presenti die usque**

que ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadae veniunt, quarum videlicet XLII. dies sunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentia subtrahuntur, novo plus in abstinentia remanent, quam XXXVI. Dies & his quasi anni nostri decimas DEO offerimus; jam vero si quatuor illi dies quarta feria cinerum usu recepti fuissent, computatio & mystica ejus applicatio minus apte convenirent nec Romani XL. sed XLII. dies habuissent, quod tanto Patri imputare pueret filios plus quam obedientes. Ipse Amalarius Fortunatus Lib. II. de officiis, Eccles. C. VII. in hæc verba erumpit: S. Gregorius tantummodo XXXVI. dies abstinentia, nobis insinuant quadragesimalis temporis, forsitan quia nondum erant additi quatuor dies a feria quarta usque ad Dom. Quadrages. Consentit Hugo Menardus Monachus Benedictinas Doctissimus, in notis ad Sacramentarium S. Gregorii ad Caput jejunii p. 52. Hanc inquit, celebritatem S. Missam (ad Caput jejunii) adjectam esse post obitum S. Gregorii certum est, cum illius tempore quatuor illos ante quadragesimam Dies nulla jejunii lex involveret, ut clarum est ex ipsa Gregorii S. Hom. XVI. in Evangel. vid. Homborg. § |XVIII.

§. VII. Post Gregorii tempora homines & voce Quadragesimæ, & exemplo Quadragenarii a Christo peracti Jejunii decepti cum viderent consuetum XXXVI. dierum numerum non sufficere, quatuor illos dies cæteris præfigendos esse duxerunt. Tempus autem præcise constituere vix possumus, Amalarii tamen ævo qui Seculo IX. ineunte floruit, illos dies jam additos fuisse testatur Lib. I. de Off. Eccles. Cap. VII. Quarta feria inter Quinquagesimam & Quadragesimam, Jejuniæ, quod protenditur in Pascha Domini, inchoamus, & paulo post, Quarta feria, quâ hoc Jejuniæ inchoamus, Caput jejunii appellari solet. Eiusdem Seculi anno XLV. in Concilio Meldensi quarta feria expresse vocatur Caput Jejunii quadragesimalis Canon. LXXVI. Concilium Sueffianum II. ejusdem Seculi. an. LXII. congregatum Can. VII. diserte appellat quartam feriam caput quadragesimæ. Ex quo tempore Scriptores Divinorum officiorum hujusdiei tanquam capitis Jejunii mentionem faciunt.

§. VIII. Speciale quid nobis reliquit Valerius Herbergerus in Der Herkpostill p. 228. dicens: Olim Polonos ac Silesios 9. hebdomas

domadas nim. à Septuagesima usque ad Pascha jejunasse. Verum A. D. 1248. à Concilio Lugdunensi Jacobus Leodiniensis in has regiones missus postulabat omnium Ecclesiasticorum reddituum partem alteram ad tres annos, ut bellum adversus Fridericum Imperatorem geri posset. Prælati Ecclesiastici statim quintam bonorum partem Vratislaviæ collatam citius quam tempus promissum postulabat, miserunt: ex quò Legatus ex Papali potestate cum imperio Rom. Quadragesimam celebrare illamque feria quarta cinerum inchoare indulgit. Cui vero præ cæteris Mercurii diem elegerint, tum computationis tum Christi hoc die inchoata jejunii ratio eos impulisse videtur. *Conf. si placet, Guiliel. Durandum in Rationali in Temp. Lib. VI. de Feris IV. in Caput Jejunii.*

§. IX. Ritus hoc die peractos à Gregorio seu potius post Gregorii mortem Secul. VIII. labente, à veterum consuetudine à Concilio Agathensi descripta mutuatas fuisse non plane abs re statuimus, quos excerptos vide in *Homburg. Tr. de Quadrag. §. XXXII. Hildebr. Euchirid. Sacra Crit. l. c. Wildvogel. Dissut. §. XII. XIII. Arndii Lexico Antiquit. Hospinianus l. c.*

§. X. Et ut res ipsa loquatur ritus hujus diei Cinerum antiquos recensebimus, sed quos compediosè jam descripsit Jos. Arudius in *antiquit. Eccl. p. 428.* ex canonum collectoribus Burchardo Wormatiensi, Ivone Carnotensi & Gratiano Ord. Bened. Bononiensi. Unde ortum absque dubio traxerit ritus Halberstadii receptus. *Ibi enim Cinericio via die unus aliquis è populo in templum DEIpæ virginis ducitur, quo profano aliqui non patet accessus, (tantum iniciati id planum subeunt) hominum opinione nequissimus, hunc velato capite, pullà veste sacris admovent: quibus ritè peractis templo ejicitur, ejectus toto Jejuniorum tempore nudis pedibus urbem pererrat, divorum templa visit abundus: Sacerdotes illi victum suggerunt. Mox in die Dominica Cæna iterum templa inductus post olei consecrationem ab universo Clero expiatus dimittitur, Eleemosyna prius accepta quam offert templo. Hunc Adam vulgo vocant, quod ut Protoplastus ille omni vacet crimine, per eumque tota civitas creditur expiata: Referunt hoc Pius II. P. R. in Europa sua Cap. XXXI. Raphaël Volaterranus Lib. VII. Geographiæ. Petr. Borrius Lit. II. Comm. Rer. Germ. Alciatus de Aduno Halberstadiensi.*

§. XI. Nonnulli putant hanc consuetudinem. . . .
nem

nem aliquam fuisse publicæ pœnitentiæ cuius frequens in jure Pontificio fit mentio; cui sententiæ non parum roboris addit gravis ad pœnitentiam veram agendam adhoratio. Et sane ipse ritus satis testatur, hunc diem non nisi pœnitentialem fuisse, in quo non solum facinorosi sed & fideles cuncti ad pœnitentiam excitabantur ex ord. Rom. Cap. de Cap. quadragesimæ citat *Homburgius l. c. §. XXXIV.* Præsertim quia veteres Christiani tempore Quadragesimæ sacra Evcharistia usi fuerunt, testantur *Petavii animadversione in Epiph. expositionem fidei p. 363.* ad quam ritè usurpandam singularem instituebant præparationem. Longè vero recedunt ritus olim usati ab hodiernis Ecclesiæ Romanæ, quos omnes descriptos propter multitudinem legere molestum, depictos aspicere propter varietatem ridiculum, potiores, quantum & styli & penicilli vires permittunt, ob oculos ponemus, & quidem ceremonias tum manè tum vesperi adhibitas, quarum illæ concernunt cineris & benedictionem & distributionem, unde maximè dies hic appellatur.

§. XII. Scripta tamen, ne iterum scribamus, ablegamus *Benev. lectores,* ad Authores qui ad nauseam usq; hos ritus descripserunt *Dunandus Lib. VI. Cap. 28. Discipulus de tempore Serm. XXXVII.* fabulam ipsam agit breviter. Plenam & vivis quidem coloribus repræsentatam Vid. in *Pontif. Rom. auctoritate Pii V. Pontif. Maximi edito, Venetiis apud Juntas 1572. Hospinianus de orig. Festor. Christ. p. 60.* rem compendiose exhibet. In eo, inquit, die cineres ex sacratis præteriti anni palmis ustos consecrant, idq; Collectis quatuor, in quarum priore Sacerdos orat Deum, ut mittere dignetur Angelum suum sanctum, qui cineribus istis benedicat & sanctificet, ut sic cineribus sese aspergant istis ad corporis sanitatem & animæ tutelam. In secunda, ut his cineribus pro sua pietate benedicere dignetur, quos causa proferenda humilitatis atque promerenda venia capitibus imponere decreverit, omnium peccatorum veniam mereantur &c. In tertia orat: *DEUS inclina precibus, & capitibus servorum tuorum, horum cinerum aspersione atactis effunde propitius gratiam benedictionis tuæ, ut eos spiritu compunctionis repleas &c.* In quarta, *Deus &c. concede propitius, ut sic Ninivitas imitemur quatenus veniam prosequamur obtentu.* Post Consecrationem & benedictionem adventantibus ad aram

B

homi-

hominibus Sacerdos cinerem in signum pœnitentiæ in capita eorum solet conspergere & dicere: Memento homo, quia cinis &c. Addit insuper Durandus l. c. quod imagines & figura Ecclesiæ velo obducantur. Quantum vero cineribus benedictis adscribant hujus fabulæ actores, indicatur in *Annuis Literis Soc. Jes.* 1653, Goswino *Nickelio Præpos. Gen.* jubente *Pragæ editis*, ubi his cineribus demonem ejectum legimus p. 237. n. 8. ejusdem fidei & farinae est illud p. 247. n. 81. Cuidam, inquentes, ut Catechismo nostro se daret instruendum ansam dedit, quod cum ob sterile à multis annis conjugium affligeretur, Christiani cujusdam hortatu DEO uni ac vero supplex de cinere benedicto biberit modicum, breviq; conjugium fœcundum expertus sit.

§. XIII. Ne vero nihil præter crambem roties recoctam apponamus lectori, gratum erit, ritus hoc die consuetos ex recentioribus sacrorum rituum collectoribus proponere, quorum copiam nobis fecit *Bartholomæus Gavantus in Thesauro Sac. Rit. Part. IV. Tit. 17. p. 215.* Ante Missam benedicuntur cineres facti de ramis olivarum s. aliarum arborum præcedenti anno benedictis; quam benedictionem describit. p. 219. (*Præparantur Thuribulum navicula & vas aquæ in angulo Altaris; Cerem Episc. lib. 2. p. 19.*) Sacerdos indutus pluviæ violaceo vel sine casula cum ministris similiter indutis procedit ad benedicendum cineres, in vase aliquo super Altari posito, & primo cantatur à Choro Antiphona, Exaudi &c. Deinde Sacerdos in cornu epistolæ non vertens se ad populum certam formulam recitat. Postea celebrans imposito incenso in thuribulo aspergit in medio à dextris & à sinistris cinerem delato vase aque ab altero ex acolythis & aspergilla sine osculis dato Diacono qui cum osculis deinde tradit celebranti cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam Asperges; sine cantu & sine Psalmo. & ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare, imponit cinerem celebranti non genu flexo. Si vero non adsit alius Sacerdos ipsemet celebrans genibus flexis coram Altari sibi cineres imponit in capite, nihil dicens, & cantatur statim à Choro Antiph. & Responsorium primò imponit cineres digniori Sacerdoti, à quo ipse accepit deinde ministris paratis genibus flexis coram Altari dicens consuetam formulam. Postea veniunt alii, primò Clerus, per ordinem deinde populus & genibus flexis ante Altare singulatim recipiunt Cineres à Sacerdote ut dictum est de ministris, completa cinerum impositione Sacerdos dicit. *Dominy vobiscum.*

§. XIV.

§. XIV. Nunc fontem ex quo rivuli tam limpidi derivantur, quærendum putamus: nec multo opus erit labore: Roma uti omnium superstitionum, ita & harum quoque est genetrix. Quamobrem jucunditatis causa aspiciamus fabulam, quam ex variis ordinibus Romanis auctam plene exhibet Mabillonius in Museo Italico Tom. II. ubi nro. ex ordine Rom. I. qui exstat in veterissimis Codicibus Casinensi. Sancti. Gallensi, Einsidlensi & Colbertino an. 1561. edit. Tit. III. apud Mabillonium p. 17. Ordini XI. Benedicti. B. Petri Canonici ad Gvidonem de Castellis tunc Cardinalem S. Marci qui postmodum factus est Cælestinus II. apud Mabillonium p. 134. Ord. III. edit. Jussu Gregorii X. p. 216 ex Ord. XIV. auctore Jacobo Cajetano ap. Mabillonium p. 347. Ord. XV. auctus à Petro Amelio apud Mabillon. p. 461. ex quò potiora hauriemus Tit. XXIV. de prima die Cinerum s. Quadragesimæ. In die Cinerum feria quarta in Capite Jejunii scil. prima die Quadragesimæ sermo & Missa mandantur. Curiose posset quæri, an flabellum ad abigendas Muscas, quod tenebat is, qui mitram Pontifici ministrabat, vel utrumq; , alterum ad refrigerandum aërem, quæ Fulgentius ex foliis palmarum contexisse refert Job. Mabillon. Comm. p. 47. etiam hic adhibuerint? Deinde quibus ceremoniis Papæ imponantur Cineres nihil dicendo describit, ubi hoc notandum, quod Macri fr. in Hieroglyphico suo sub tit. Cineres addant, verba dici, Memento quia pulvis es.

§. XV. Porro agit de Ordine recipientium: Sciendum, quod si Rex esset præsens cineres recipiat post Priorem Episcoporum, Cardinalium; sequitur Missæ & Orationis descriptio; quomodo servendum Papæ diebus processionalibus; De Indulgentiis, de Prælato, qui servit Papæ, de officio Diaconi Cardinalis, quando dicit Evangelium in die Cinerum: Jam ulterius proponit Cinerum receptionem. Quando rex recipit cineres indutus sit sacris vestibus & mitra alba. Fortasse & hoc habitu indutus accepit Cineres Rex Galliarum Ludov. XIV. qui cum fratre Duce Aurelianensi ejusque Coniuge ad Episcopum Aurelianensem ut cineres acciperet, venerat: sed quia Cineres plus justo calidi Regem urebant, clamabat Rex? Quid me comburetis? Quo Archiepiscopus arripiebat ansam brevibus quidem sed maximè ponderosis verbis Regi ad animum revocare, Annon ingens Cinerum copia ad Rhenum illum ureret? & annon cogitaret vel potius metueret, quid sibi illa die, qua mors in

cineres eum solvet, eventurum sit. Quibus verbis Rex attonitus & perturbatus in Conclave se recepit; spes autem futuræ resipiscentiæ omnes decepit, *confer Monatlichellnterredung. April. 1690. p. 301. seqq.* Majorem certe duxit hunc incinerationis ritum hic Archiepiscopus, quàm Religionis suæ alias Pater Papa Bonifacius VIII. qui venienti ad se Procheto Genuensi Archiepiscopo, sed Gibellinæ factionis, & petenti ad pedes Papæ cineres, hæc dixisse; *Memento quia Gibellinus es & cum Gibellinis in cinerem converteris* simul & patinam plenam cinere effudisse atq; incurfisse in vultum & oculos Archiepiscopi, ut Platina in Vita Bonifacii refert.

§. XVI. Sed redeamus ad id, à quo nos commoratio nostra abduxit. Describitur ulterius, quomodo debeat sedere Patriarcha; quomodo Rex debeat sedere, quid fiat, quando Papa non celebrat hac die; de illo, qui celebrat coram Papa; quando Papa est in urbe; porro, Antistes vult pergere pedes; quando Papa non est in urbe; de Modo incedendi Rom. Pontificis. Hi sunt Tituli, quas ex P. Amelio conscripsit Mabillonius in *Musei Italici Tom. II. p. 461. usq; 467.* Observandum ducimus hujus diei notabilia quædam, cujus *Ord. Rom. Benedicti mentionem facit, adducere; finita Missa acolythus debet tollere papyrum. b. e. ellychnium in lucernis & cereis adhibitum, & intingere in oleo candelæ & diligenter extergere & portare ad Palatium ante Pontificem dicens: Jube Domine benedicere. Pontifex benedicit. Ille vero dicit: Hodie fuit statio ad Sabinam, qua salutat te. Pontifex respondet, DEO gratias. Acolythus representat ei papyrum, qui osculatur eum pro devotione sancta & dat eum cubiculario. Cubicularius reponit & diligenter observat usq; ad mortem Pontificis. Ad mortem facit ex iis pulcrillum & ponit sub capite ejus in sepulchrò. In quibusdam festis, ut refert *Mabill. Com. Tit. VIII. n. XII. & p. 134.* Pontifex cum Sacra celebraret, communionem percipiebat ad altare, quibus Cinerum diem addit Augustinus Patricius, quibus diebus S. S. Christi Sanguinem non ex calamo, sed ex calice haurit. Stationis annunciationem exprimit Benedictus Canonicus agens de Feria IV. Cinerum *Libell. X. n. 33.* Ante Communionem stat Subdiaconus regionarius juxta altare dicens altâ voce: *Craftina die veniente statio erit in Ecclesiâ S. Gregorii Martyris ad vellum aureum.* Respondet Schola: DEO gratias*

gratias. Hac die Pontifex Missarum solennia in persona celebrat. *Ex Ordin. XIV. Jacobo Cajetani refert Mabill. p. 278.* Hac die Pontifex a Consistorio abstinet *l. c. p. 182.*

§. XVI. Nunc consuetas exhibere collectas Lectori non grave fuerit. *Feria IV. in Capite Jejunii Collecta ad S. Anastasiam unde equitat Pontifex & est statio ad Sabinam. Benedictio Cineris Omnipotens sempiterne DEUS parce metuentibus. DEUS qui non mortem, sed pœnitentiam desideras. Alia: DEUS qui humiliati- one flucteris. Alia oratio: Omnipotens sempiterne DEUS qui Nini- vitis in cinere &c. Interim ponendi sunt cineres super capita singu- lorum ita dicendo: Memento, quia pulvis es &c. Antiphona: Ex- audi nos Domine, quoniam benigna est & Psal. saluum me fac DE- US. Presbyter dicat: Oremus: Diac. Flectamus genua, Levate &c. Oratio ad Collectam. Concede nobis Domine prasidia militia Chri- stiana sanctis inchoare Jejuniis &c. Per. Dominus Vobiscum. Et cum Spiritu tuo. Diaconus dicit: Procedamus cum pace. Resp. In nomine Christi Amen. Antiphona per Paradisum. Immutemur ba- bitu, Kyrie eleis. ter. Pater noster. Et ne nos. In memoriâ, a porta in- feri. Acquiescam in pace. Domine exaudi orationem meam. Domi- nus Vobiscum. Oremus. DEUS, cujus miseratione anima fidelium requiescunt &c. Dicta Oratione intramus in Ecclesiam cantandò: *Pœre amas me, cum versu Simon Johannes. Finito responsorio Di- aconus incipit litaniam.**

§. XVII. His solennitatibus ita perspectis incurrit illud Danie- lis Cap. II. de Statua, quæ superius aureum habuisse Caput, pedes vero luteos somnio illi apparebat. Et certe pietatem seu potius su- perstitionem, quæ mane agebatur, excipiebant ludi turpes ob- scæni & verè impii. Qua de re Neogeorgius *Lib. IV. Regni Papisti- canit: Nullus stultitiæ tamen est nullusque, furoris Terminus, inter- missa instaurant prandia lati &c.* Tiguri hoc die Lanii æreum Leonem quotannis ludicra quadam pompa circumgestare solent per omnes vicos & regiones urbis. Lipsiæ quoque idem fermè de- prehendimus. Mos enim erat quondam ibi, ut liberalibus perso- nati juvenes per vicos oppidi aratrum circumducerent, & puellas obvias per lasciviam ad illius jugum accedere etiam repugnantes cogèrent, hoc veluti ludicro pœnam expetentes ab iis quæ innu- ptæ ad eam usque diem mansissent. Accidit in Bacchanalibus

B 3

anni

anni 1499, ut unus ex his ludis puellam quandam cordatiorem aratro urgeret. Cumque illa ejus manibus elapsa in proximam domum profugisset, nec tamen abstineret personatus ille fugitivam prolequi, tandem cultro arrepto acriter instantis pectus transfixit, & à cæde recenti ad judicem deducta infestum sibi spectrum, non hominem à se percussum fuisse causata fuit, uti refert *P. iferus in Orig. Lips. p. 252. §. 23. Schneiderus in Chron. Lips. Lib. IV. p. 159.* quem ritum die Cinerum peractum fuisse testatur *Job. Böemus de gentium mor. leg. & ritibus Lib. III. cap. XV. & Neogeorgius in Regn. Pap. Lib. IV.* Alios adhuc ritus eodem tempore consuetos fuisse ubi nempe lupæ imaginem è stramento ad deformis viri similitudinem longa pericâ suffixum ad flumen simul decurrentes stramentum in aquam demittebant, refert idem *Peiferus l. c. p. 312. seqq.* Nec prætereundum quod adhuc quibusdam locis hujus regionis moris fuerit ut virgis se invicem cædant utriusque sexus juvenes, ita ut die Martis juvenes primò puellas, die Mercurii puellæ rursus juvenes cæderent, quem ritum à flagellationibus olim ut signum pœnitentiæ tractum fuisse probare videtur, illud ridiculum, *guten Tag etc. wenn heut die Aschermittwoch wâr/so wolte ich ihm straffen* Quos ritus, nisi male, ridicule tamen usurpatos fuisse, ubi nimirum Patres familias liberos ceterosque domesticos hac die cæcidisse quod vocabant *die Asche abkehren* relatum accepimus. Nec incognitum fuisse hunc ritum, testatur exemplum satis funestum, quod circa annum 1656. Hamburgi contigisse jurato ipsius hujus facti spectator refert. Die nempe Cinerum cum mane fusoris. Ærarii famula famulum virgis cædere vellet, vero hujus acerbi ritus propter ancillæ vehementiam impatiens, locum quo salvus esse possit quæsiturus in superiori parte ædium cujus fores ad plateam spectabant, se recepit, prosequens illum ancilla virgis, nescio quo casu janua ipsi à tergo sese aperit, quo facto Juvenis lapsum jam proximum præcautus ancillam manu apprehendens una cum illa decidit, vitamque ambo miserime & fabulam tragice clauserunt.

§. XIX. Quamobrem non tantum ipsa horum rituum vanorum & profanorum ratio, sed & eventus, qui plerumque his

vani-

vanitatibus respondent, vani & lugendi abrogationem injunxerunt: Ad quam tum omnium aliorum abusuum imprimis horum abrogationem maturato opus esse censuerunt, non tantum omnis Reip. Christianæ Principes & Status Protestantes, sed & quælibet regio & civitas suum ostendit studium; qua in re consulendus *Sleidanus de statu Religionis*. Nobiscum habitemus & scimus quam sit nobis larga suppellex. Serenissimi Electoris Saxoniae mandata ad abrogandos hos abusus & reformandos ritus prostant, Sufficiat adduxisse ad Annabergenses mandatum, ubi de abrogandis ritibus, commestationibus, tubis & tibiis choreis tripudis, saltationibus consuetis, *vid. B. Carpzovii Jurisp. Consistorial. Lib. II. Tit. XVII. D. CCLXIV. p. 299.* agit. Quid Elector Brandenburgicus? Constitutiones ejus Ecclesiasticæ die 20. Apr. 1540. Privilegio munitæ extant, ubi inter alia tandem ex ceremoniis Quadragesimæ aliisque rejicit consecrationes palmarum, ignis, aquæ, salis, candelarum atque alia ejusmodi *conf. B. Seckendorf. Histor. Lutheran. Lib. III. Sect. 20 §. LXXV. Add. II. n. p. 24.* Sic Ordinatio Ecclesiæ Brunsvic. Bachanalia summe improbat & licet peccata illa stulta videantur fuisse, DEI tamen iram protervia illa provocari affirmat; sequitur porro longa & acerrima Disputatio adversus abusus veteres Consecrationum. *vid. Seckendorf. l. c. §. CIX. p. p. 447. §. 454. confer. & Ordinat. Eccl. August. 1618. editam.*

§. XIX. Quantum Lipsienses ob Religionis reformationem & Ecclesiæ repurgationem & fecerint & perpessi fuerint immortalis memoriæ reliquerunt historici; Cui ignota est illa sævitia, qua Georgio Duci Saxoniae Lipsienses ob doctrinæ Evangelicæ desiderium carcere, exilio coerciti; multi mortem obire necesse habebant *Seckendorff. Lib. 1. Sect. 63. §. CLXXXIII, 5. p. 316.* Quid illud quæso ubi DCCC. Familiae ejiciebantur; acerrima examina, solatium adversus illa Lutheri ad Lipsienses recenset idem *Lib. 3. Sect. XXI. & Add. I. a, b.* & quanquam multum resistebatur conatibus Lipsiensium, plenam tamen reformationem factam 1539. *describit idem B. Seckendorffius l. c. §. LXXII, Add. I p. 219.* Et quanquam populus nonnullas contra edicta utriusque Magistratus consuetudines clam habuerit reliquas, penitus tamen Splendore magis magisque, cum illustrante,
tum

QX
2018

tum cura Magnifici Academiae & civitatis Lipsiensis Senatus
quam publica edicta, in quibus & poenae gravissimae in transgres-
siones luculenter ostendunt. *Conf. Schneideri Chron. Lipsiens.*
m. 153. Heidenwich p. 377. Seckendorf. l. c. Peiferus Lib. III. § 36.
p. 370. cum etiam populi ingenti, quo claret in DEUM & Magi-
stratum favore hos ritus & ineptias plane deposuisse & meliori-
bus inhaerere uti videmus ita gaudemus, precantes DEUM ut
singularissimae suae providentiae oculos in nostrae Saxoniae, quin
totius Germaniae Oculos benigne adhuc directum servare velit.
Servet Academiam Inclytissimam, Servet Amplissimum Celeber-
rimae Lipsiae Senatum cujus Munificentia per septem annos su-
stentationem & informationem habui, cui studia nostra Sacra &
commendata esse humillime precamur. Servet universam ci-
vitatem quae me per duodecim annos aluit benignissime. Lar-
giatur DEUS & Servet Studiorum Mæcenates Patronos, Fauto-
res felicissime, diutissime!

Corollaria.

Caput Jejunii non est Caput Jejunii.

Quadragesima non semper significat quadra-
ginta.

Vox Karwoche male derivatur à carus.



1077

Q. K
4174

II i
2618

DISSER
CAP

ICA,
NII,

Die

ch /

Inclytæ Fac
pla

Indultu

M. JOH
Bonf.

ch /

TO

Ad diem M

!!

Typis Jo

